

DE FIDEIUSSORIBUS ET MANDATORIBUS.

8.41.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Lysiae.

Si Lysias adempta parte bonorum exulare iussus est, non nisi pro parte quam retinuerit creditoribus obligatus est. Verum qui pro eo fidem suam adstrinxerint, iure pristino conveniri possunt.

PP. id. Oct. Severo A. III et Victorino consss.

[a. 200]

8.41.2

Idem AA. Plotio.

Creditori, qui pro eodem debito et pignora et fideiussorem accepit, licet, si malit, fideiussorem convenire in eam pecuniam, in qua se obligaverit, quod cum facit, debet ius pignorum in eum transferre.

1 ¶ Sed cum in alia quoque «ausa eadem pignora vel hypothecas habet obligatas, non prius compellendus est transferre pignora, quam omne debitum exsolvatur.

D. V k. Febr. Apro et Maximo consss.

[a. 207]

8.41.3

Idem AA.. Maximo.

Non recte procuratores nostri, si adlegationi tuae fides adesset, audire te noluerunt ex bonis fideiussoris quae ad fiscum pervenerunt pecuniam repetentem, sed reum principalem convenire iusserunt, cum electionis potestas permittatur creditori.

1 ¶ Sed cum tu duos fideiussores acceperis te proponas, si et alter idoneus est, intellegis te divisa quantitate partem competentem a procuratore petere debere et adversus alium fideiussorem experiri.

2 ¶ Nam licet signifies adiectum in obligatione, ut singuli in solidum tenerentur, tamen nihil haec res mutat condicionem iuris et constitutionem, nam et cum hoc non adiciatur, singuli tamen in solidum tenentur: sed ubi sunt omnes idonei, in portionem obligatio dividitur.

PP. XVII k. Sept. Antonino A. III et Geta III consss.

[a. 208]

8.41.4

Imp. Antoninus A. Rufae.

Novatione legitime perfecta debiti in aliud translati prioris contractus fideiussores vel mandatores liberatos non ambiguntur, si modo in sequenti se non obligaverunt.

PP. XV k. Oct. Antonino A. IIII et Balbino consss.

[a. 213]